

1479 equitum vis fugientibus adempta . Rubertus veritus , ne ad eam famam Alphonfus excitus , cum majoribus copiis ad se opprimendum veniret , retro in pacatum cessit . Sunt aquæ in speciem stagni ex Arretino agro inter Senenses & Perusinos fines in Paleam fluvium , ac inde cum Palea in Tyberim profluentes : eas *Cheanas* Hetrusca voce appellant : aquæ ipsæ duobus pontibus sunt vadabiles , Clusino uno & qui in hostium potestate erat ac remotiore loco ; altero medio pene tractu , quem etiam Malatesta præsidio firmarat . Hujusmodi aquæ utrorumque castra dirimebant . Dum Aragonius Dux ad Clusinum properabat pontem , Rubertus per ocium se & suos in pacatum recipiebat , atque hinc in Senenses erumpebat fines ; ubi ille opem Senensibus laturus , agmen retro flexerat , tum Malatesta Perusinos vexabat . Atque hujusmodi frustatorii expeditionibus maxima ejus ætatis pars sine alio memorabili facinore consumpta est . Demum sub medium autumnum , quum Fœdericus Urbinas & Alphonfus rescivissent , copias , quas Florentini ad Podium imperiale habebant , ob Æstensium & Gonzaganorum militum discordiam , magnopere extenuatas (ita nanque acciderat , ut orta non multo ante inter utrosque seditione , parum abfuerit , quin Hercules Æstensis in discrimen vitæ sit adductus : multi ob Cassianam prædam id accidisse existimant : alii Nicolai Æstensis mortem in causa fuisse suspicati sunt : verum undecunque orta sit seditio illa , ita accidit , ut , Hercule domum abeunte , Mantuanus & ipse , relictis ad præsidium loci duobus fratribus , Mediolanum concesserit , unde Rubertus Severinas illis ipsis diebus fuerat ejectus , quasi nova de invadendo principatu cum hominibus suæ factionis consilia agitare cœpisset : ne igitur aliquod majus res pareret discrimen , ad eum motum pacandum ille ex Hetruria in Galliam decesserat) ad exercitum igitur sine ducibus hostes spei pleni duxere . Sub primam lucem in adversum montem scutatorum peditum explicuere aciem ; atque per montis declivia magnis animis in hostem itum : Andreaque Burgenfi cum suis ex statione , quam munitiore loco